

et argentum ab avaris in hoc mundo collecta, erunt in inferno quasi ignis, a quo vorabuntur carnes eorum: *Aurum et argentum vestrum æruginavit: et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* O qualem æruginem, quæ etiam erit ignis, a quo vorabuntur carnes avarorum in inferno! Nonne melius fuisset eis, tot divitias non congregare, nulli injuriam facere, suum cuique redere, et in pauperes se beneficos præbere, quam inferno et æternis ejus cruciatibus addici? O avari, quid proderit vobis, domos, agros, et prædia multa comparasse, si in inferno æternum sepulti maneatis? quid proderit, nunc viduæ, nunc orphani, nunc artificis bona inique abstulisse, si relictis hisce bonis, ad sempiterna inferni supplicia perferenda condemnemini? quid proderit, multa filiis et hæredibus bona reliquisse, si dum gaudebunt hi, vos in inferno ploretis, et dirissimos cruciatu patiamini? Tunc fatebimini, quod nil vobis profuerit, divitias multas congregasse, et hæredibus testamento reliquisse. Tunc cum aliis reprobis dicetis: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* (Sap. 5, 8). Tunc poenitebit vos, nimio et inordinato affectu divitias dilexisse, eas inique acquisivisse, et eas non debite impendisse; at inanis erit hæc poenitentia. Operamini modo, quod tunc egisse velletis; *agite nunc divites, plorate ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis* (Jacob. 5, 1). Prævidete æterna inferni supplicia, quibus addicemini, si non convertamini. Dicite intra vos, si hanc vineam, illam domum, et alia quæ inique possideo, non restituiam, nunquam regnum cælorum obtinebo; ad æterna tartari supplicia infallibiliter damnabor. Dicite intra vos, si bona hæc quæ possideo, iuxta Dei placitum non expendam, nunquam Deo placebo, ideoque ab eo sempiternis inferni tormentis adjudicabor. Hoc dicite, ac prævidentes imminetia vobis hæc tormenta, plorate, ululate et poenitentiam agite, *plorate ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis.* Plorate, inquam, et agite nunc, quod egisse velletis, si in inferno essetis, *agite nunc divites.* Si in mediis inferni ignibus essetis, velletis haud dubie sua cuique restituisse, ea

jam restituite; velletis, illata a vobis damna reparasse, ea nunc reparare; velletis facultates vestras debite impendisse, hoc *agite nunc divites,* et post mortem in cælo divitiis omnibus affluetis. Amen.

## FERIA VI POST DOMINICAM TERTIAM.

## DE DIVINA GRATIA.

*Si scires donum Dei* (Joan. 4, 10).

Hæc est differentia inter Dei et creaturarum amorem, quod creaturæ bonitatem necessario supponant in objecto amato, Deus vero bonos efficiat eos quos diligit. Amor quo nos prosequuntur creatura, ita vacuus, inanis et sterilis est, ut nil nobis boni conferat, Dei autem in nos amor ita fecundus et efficax est, ut nos si mali simus, bonos faciat. *Ex dilectione Dei, quæ vult creaturæ bonum, producit in ea bonum* (S. Thom). Testes advoce quotquot mundo placere, ac ejus benevolentiam sibi conciliare studuerunt. Dicite vos, qui creaturarum amore tanto studio comparare conati estis, dicite an non illarum erga vos affectus sterilis et forte exitiosus exiterit? fatemini amorem hunc vobis nonnisi somnia, phantasmata, et forsam amaritudines parturisse; e contra Dei amor summe beneficus semper operatur bonum nosfri causa, ac ne puncto quidem temporis a benefaciendo cessat. Præcipuum autem bonum, quod in hoc mundo a Deo nos amante percipimus, est gratia ejus; quod bonum simul et donum quod a munifica ejus manu recipimus heu nimium! a multis vel ignoratur, vel pro nibilo habetur. Quam cæcitatem deflens Salvator exclamat: *si scires donum Dei!* Merito igitur de hoc Dei dono, seu de divina gratia aliquid fusius ac diligentius disserere congruit, idque

hac concione præstabo. Cum vero moneat Augustinus, eum indigere gratia, qui de gratia loquitur, *si cultis eructare gratiam, habete gratiam*, antequam de gratia sermonem habeamus, a Deo gratiam supplices postulemus. *Ave.*

Cordis humani amantissima est gratia, cumque pro illo creata sit, in eo etiam quiescere satagit. Divinæ hujus gratiæ omnino incapacia sunt bruta animantia; ejus indigni facti sunt dæmones; solum superest humanum cor, in quo, velut in throno suo, requiescere quærit, et ideo illud undequaque obsidet, circa illud volitat, ad ostium illius pulsat, sibi que aperiri desiderat, ut in illud intrare, ac in eo et cum eo operari queat. Nec aliquibus dumtaxat sese offert divina gratia; fidelibus et infidelibus, peccatoribus et justis, dignis et indignis, prædestinatis et reprobis, ac omnibus penitus hominibus se exhibet, omnesque præsentia sua honorat: *Gratia omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat* (Chryso. ho. 7 in Joan.). Homines quique, inquit D. Augustinus, sollicite bonum aliquod solidum, et humano corde dignum inquirunt, dicuntque cum propheta: *quis ostendit nobis bona?* ut autem illud bonum inventiant, per res exteriores erronee vagantur multi, quin illud bonum invenire possint. Utinam recogitarent homines omnibus a Deo offerri gratiam, quæ est bonum solidum et humano corde dignum, bonum supernaturale, quo nullum melius, nullum pretiosius, nullumque ad salutem convenientius reperire est! Hoc hodie vobis bonum ostendam, ac patefacere conabor divinæ gratiæ necessitatem, operationes et triumphos: 1. *necessitatem*, quæ maxima est; 2. *operationes*, quæ sunt admirabiles; 3. *triumphos*, qui gloriosissimi sunt. Gratiæ actualis necessitas, operationes et triumphus: en tres hujus concionis partes.

## I PARS.

*Gratiæ divinæ necessitas.*

Omnibus notum est, quod summo studio laborare debeant *peccatores*, ut convertantur; *justi*, ut perseverent, et *omnes*

ut æternam beatitudinem obtineant. Quomodo vero peccator, qui Dei hostis est infensissimus, Deum placare, ab eo veniam obtinere et ad eum converti valebit? quomodo homo justus, qui infirmus est et debilis, quique occasionibus et tentationibus multis ad peccandum allicitur, in statu gratiæ perseverare poterit? quomodo omnes homines, qui æterna gloria prorsus indigni sunt, eam assequantur? Ad hæc omnia Dei requiritur et sufficit gratia, quæ propterea necessaria est peccatoribus, justis et omnibus: 1. *peccatoribus*, ut convertantur; 2. *justis*, ut perseverent; 3. *omnibus*, ut salventur.

1. Sicut non potest brutum animal sine pedibus incedere, nec avis sine alis volare, ita et homo peccator sine Dei gratia converti, pœnitere, ad Deum accedere, et a statu peccati ad justitiæ statum progredi nequit. *Si quis dixerit, sine preveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit* (Trid. Sess. 6, can. 3). Pœnitere quidem, et ad Deum converti non potest peccator sine gratia; unde ad Deum clamat propheta, *Deus virtutum converte nos*. Deum rogat, ut ipsum convertat; quia sine Dei gratia homo peccator ad Deum nimine convertitur. Cum homo peccavit mortaliter, gravi laborat animæ infirmitate, ac cum regio vate infirmum se fateri debet, *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. Quomodo ab hac liberabitur infirmitate? quomodo animæ sanitatem et sanctitatem acquirere? per gratiam utique, sine qua nemo sanari, ad Deum converti potest. Unde subdit propheta, *sana me Domine*; a Deo animæ sanitatem petit, quia per solas naturæ vires et sine divinæ gratiæ auxilio sanari, a fædis peccatorum sordibus emundari, ab animæ morte resurgere, ad Deum converti, et justificari non possumus: *Si quis dixerit hominem suis operibus absque divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram Deo, anathema sit* (Trid. ses. 6, can. 1). Adduxit Dominum Exechielem in campum ossibus aridis plenum, præcepitque ei, ut ossibus his prædicaret et vaticinaretur. Obtemperavit propheta; ossibus prædicavit, et accesserunt ossa

ad ossa, unumquodque ad juncturam suam: super ea nervi et carnes ascenderunt et extenta est in eis cutis desuper; jamvero spiritum nondum habebant, nec revixerant: ideo ad ea vivificanda, Ezechiel, jubente Deo imperavit ventis, ut insuflarent super interfectos illos. Quo facto ingressus est in ossa hæc spiritus vitæ: *ingressus est in ea spiritus, et vixerunt*. Cur voluit Deus, ut in ossa hæc flarent venti? Respondet doctissimus Oleaster, hoc voluisse Deum, quia *ossa erant corrupta*. Ecce, frater, cum in statu lethalis peccati es, infirmaris, mortuus es, et in anima tua magna latet corruptio: *Corruptæ sunt cicatrices meæ*: ut saneris, ut ad Deum convertaris, et ut justificeris, necesse est, ut flect gratiæ divinæ venti: nisi enim per gratiam Spiritus Sancti converti et justificari nequibus. *Si quis dixerit, hominem suis operibus absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit*. Gratiæ ergo est necessaria peccatori, ut convertatur et justificetur; *est etiam necessaria homini justo, ut in accepta justitia diu perseveret* (Aug. de nat. et gr. 21).

2. Sicut oculus corporis, licet perfectissime sanus, non potest cernere, nisi candore lucis adjutus, ita nec homo, quamvis justificatus, recte vivere, et in accepta justitia diu perseverare valet sine actualis gratiæ auxilio. Sic divus Augustinus: cui accinit Doctor Angelicus (1,2, qu. 109), dicens, « perseverantia est continuatio quedam boni usque ad finem vitæ, et ad talem perseverantiam habendam homo in gratia habituali constitutus, non quidem indiget alia aliqua habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente et protegente contra tentationum impulsus ». Quod et ab ipso Concilio Tridentino (sess. 6, can. 22) expresse definitum est, his verbis: *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*. Ad custodiam domus suæ unicam ancillam adhibuerat Isoseth filius Saul: quæ obdormivit, ingressique sunt domum Isoseth hostes ejus, qui eum dormientem in lecto invenerunt, et *percutientes interfecerunt eum* (2 Reg. 4, 7). Ancilla domus nostræ est voluntas; quæ licet sit libera, est

tamen pedissequa gratiæ, cui debet ancillari. Si homo quamvis justus, unicam hanc ancillam custodiæ animæ præficiat, ab hostibus tartareis interficietur, et ad mortalia trahetur: quapropter vocando domina, petenda a Deo gratia; rogandus Deus, ut per gratiam nos custodiat; nisi enim nos custodierit, in accepta justitia diu non perseverabimus, sed ab animæ nostræ hostibus occidemur: *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam* (Ps. 126, 1). Homo quantumvis justus, ex sua natura debilis est et infirmus: *Mementote quia caro sumus, et homo facile labitur in peccatum*. Homo justus variis passionibus agitur sicut et alii; tentationibus etiam gravibus sæpe impetitur sicut alii; urgentibus peccandi occasionibus est expositus sicut et alii; ergo actualis gratiæ eget auxilio, quia adjuvante, in mortale peccatum non cadat, et in justitia perseveret: nisi enim a Dei gratia adjuvetur, in mortalia peccata, et in infernum facile cadet; *nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* (Ps. 93, 17). Et revera viros justos et sanctissimos nonnumquam videre est, qui firmissime statuunt, se in accepta justitia perseveraturos, quique cum regio vate dicunt: *non movebor in æternum* (Ps. 29, 7): et tamen, flante tentationis vento, vel occurrente gravi quadam peccandi occasione, infelicitur cadunt. Nonne cecidit Salomon, qui cum sapientissimus esset, stultissimus hominum factus est. Nonne Tertullianus, qui de penitentia et de christiana religione tot protulit oracula, in Montani hæresim lapsus est? Nonne Origenes, qui scientiarum prodigium dicebatur, in spiritum erroris incidit? Nonne ad hæreticam pravitatem declinavit Osius, qui adversus tot hæreticos pro fide catholica decertaverat? Ceciderunt hi, quia gratiæ sibi oblate non sunt cooperati; et caderent omnes, nisi a divina gratia adjuvantur: quia homo, quantumvis justus, sine divinæ gratiæ auxilio in statu gratiæ sanctificantis diu perseverare non potest; *Si quis dixerit justificatum sine speciali auxilio Dei perseverare posse, anathema sit*. Si autem gratia actualis est necessaria homini justo, ut perseveret, *est pariter necessaria omnibus, ut salventur*.

3. Nullum opus æternæ gloriæ meritum sine actuali gratia perficere possumus; *sine me nihil potestis facere*, inquit Christus. Quam ejus sententiam sic ponderat D. Augustinus: « non ait Christus: sine me facere quidem potestis quid, sed facilius per me. Non ait: fructum vestrum potestis sine me quidem facere, sed uberem per me. Non hoc dixit; legite quid dixerit: *sine me nihil potestis facere* ». Non dixit Christus, nos non posse facere magna et ardua sine illius gratia; ait, nos nihil facere posse, quia sine ejus gratia nihil æternæ gloriæ meritum facere possumus. Præfatam hanc Christi sententiam: *sine me nihil potestis facere*, evoluit Hugo cardinalis, dicens: quod sine Dei gratia nihil æternæ gloriæ meritum cogitare, loqui et operari possumus. Non quidem *cogitare*; inquit, ut enim loquitur D. Paulus: *non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (2. Cor. 3). Non etiam *loqui*; quia ut habetur Proverb. 16, *Domini est gubernare linguam*. Non tandem *operari*, quia apud Jeremiam dicitur: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos* (Jer. 10, 23). Itaque cum sine Dei gratia nihil æternæ gloriæ meritum cogitare, loqui et operari valeamus, fatendum gratiam ad salutem et ad æternam gloriam obtinendam esse maxime necessariam. Quod et docent theologi, dicentes, quod debeat esse proportio inter media et finem; et ideo, cum finis hominis sit æterna gloria, quæ est ordinis supernaturalis; opera, ut sint media ad hunc finem obtinendum idonea, debent esse ordinis supernaturalis. Non autem sunt ordinis supernaturalis, nisi ad eum eleventur per gratiam; ideo gratia est necessaria hominibus, ut opera digna salutis faciant, et salventur. De quo nullum superesse videtur dubium, si enim gratia necessaria peccatoribus ut justificentur, et justis ut perseverent, necessaria etiam est omnibus ut salventur; cum nullus salvari possit, nisi justificetur, et in accepta justitia perseveret. Videte quam necessaria sit homini gratia; hoc videte, et coram Deo humiliamini. Humiliamini peccatores, humiliamini justis, humiliamini omnes, quia sine Dei gratia converti, in justitia perseve-

rare, et salvari non potestis. Unusquisque inspiciat semetipsum tamquam infirmum cubili decumbentem, languidum et ita debilem, ut se movere, vel quidquam agere non possit sine aliorum auxilio: infirmi enim sumus omnes, ac in rebus salutis ita debiles, ut ad conversionem et ad salutem nil meritum sine gratiæ divinæ auxilio agere valeamus. Humiliemus nos, et Deum supplices rogemus, ut nobis largiri dignetur gratiarum suarum abundantiam, quarum auxilio perseverare, et salvari possimus. Dicamus Deo cum apostolis: *Domine, salva nos, peririnus* (Math. 8). Dicamus ei: Domine, da nobis gratiam tuam, quam si deneges, procul dubio peribimus: da nobis gratiam, qua ipsi summopere egemus ne pereamus, et ut salutem æternam consequamur. Ecce gratiæ divinæ necessitatem, quæ maxima est; *videamus ejus operationes, quæ sunt admirabiles*.

## II PARS.

*Gratiæ divinæ operationes.*

Si modo admirabilem divinæ gratiæ præstantiam commendare, atque ob oculos ponere opus esset, eam dicerem divinitatis radium, donum pretiosissimum et supernaturale, descendens a Patre luminum, donum quo ditantur et nobilitantur homines, quodque a Deo iis offerretur ut pignus hæreditatis æternæ, et ut medium ad eam assequendam maxime necessarium. Jamvero gratiæ divinæ operationes solummodo inquiri, quas quidem esse mirabiles fatebitur quicumque advertit, quod gratia suadeat, alliciat, et trahat. Gratia 1. *suadet*, quin tamen audeletur; 2. *alliciat*, quin tamen necessitet; 3. *trahit*, quin tamen cogat.

1. Non doctoris tantum intus erudientis et celestia mysteria aperientis munere fungitur divina gratia; verum et instar oratoris ejusdam eruditissimi in cordibus nostris verba sapientiæ

profert, ac declinare a malo et bonum operari indesinenter suadet. Hæc est, quæ salutaribus suis suasionibus ad vanos mundi honores despiciendos, ad abiiciendas terrenas opes, et ad carnis voluptatibus renuntiandum quam plurimos induxit; hæc suasu suo innumeros ad insistendum mortificationi, ad arduas quasque virtutes sectandas, ad perfectionis apicem strenue conscendendum excitavit; hæc peccatoribus multis suavit, ut a misero statu suo desciscerent, ut totaliter mundo valedicerent, sequæ totos Deo dicarent. Sciscitami Paulum, Antonium, Hilarionem, Simeonem Stilitam, aliosque portentosæ penitentiaæ sectatores, ab iis quærite, cur tam diram, tamque austeram vivendi formam susceperint? respondebunt se gratia divina ministerio, et efficacibus ejus suasionibus ad hujusmodi opera allectos fuisse. Peccatores ad Deum recens conversos interrogate ut vos doceant, quis ad vitiiis et concupiscentiis abre-nunciandum eos impulit; respondebunt haud dubie, se ad hoc gratia divina suasionibus adductos. Tandem tu quisquis ille sis, interroga teipsum, a teipso rationem postula, ac serio auscultare, cujus beneficio et auxilio ipse hoc et illud peccandi periculum evaseris, in hoc et illo casu de gravibus tentationibus triumphaveris, atque ad peccati odium et virtutis amorem perveneris. Fateri cogaris, suadente intus divina gratia, te ad hæc fuisse incitatum. Quam mirabiliter ergo suadet gratia divina, quantoque mirabilis, *suadet Dei gratia, quin aduletur!* Oratores profani sæpe et adulatorum artem profitentur, qui in corde et corde loquuntur, qui aliud in corde credunt, et aliud ore proferunt. Blandiri et adulari iis familiare est, tunc maxime cum affantur magnates, quorum virtutes simul et vitia laudant, ut eorum sibi benevolentiam captare valeant. *Adulator*, inquit Cassiodorus, *blande omnibus applaudet, omnibus salve dicit; prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes lascivos; vel prodigos vocat curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves.* Ast Dei gratia est sacer orator, qui in cujusque corde libere loquitur, qui veritatem non adulterat, qui res omnes prout se habent, revelat, quique hoc esse quod est, et hoc non esse quod non est, sincere as-

serit, *est, est; non, non.* Gratia non iis sociatur qui dicunt malum bonum, *væ qui dicitis malum bonum* (Isa. 5, 20), vel ut alia versio habet, *væ qui dicunt malo, bonus es, qui dicunt impio, justus es.* Gratia enim non ait, bonum esse quod malum est, nec homini malo et impio eum bonum et justum esse dicit; veritatem puram, et integram sine ulla adulationis specie profert. Et ideo in Scriptura gratia et veritas sæpe copulantur, dicitur enim de Christo, *plenum gratia et veritatis. Gratia et veritas per Jesum Christum.* Veritas enim et gratia simul junguntur, quia gratia non loquitur nisi vera; et veritatem pure, et simpliciter sine ullo foedæ adulationis fuce declarat. Gratia, sicut alter Joannes Baptista, principum et regum palatia ingreditur: hæc magnatum, et aliorum quorumcumque corda subit, ibique vitare vitia, et virtutes amplecti sine ulla adulatione suadet. Ibi sicut Christus viam Dei in veritate docet: ibique ait fornicariis, idololatris, furibus, avaris, aliisque peccatoribus, quod ni convertantur, numquam Dei regnum obtinebunt: *neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Heu! christiane, quoties in corde tuo locuta es Dei gratia? quoties tibi suadere conata es, ut hoc et illud vitares, hoc et illud faceres? quoties tibi veritatem libere prædicavit? Tu autem interno huic concionatori restitisti. Audi modo hunc concionatorem; obtinera gratia, cujus operationes miserabiles sunt, cum ita suadeat ut non aduletur; *et ita alliciat, non necessitet.*

2. Alliciat nos divina gratia, modumque suavem, quo nos alliciat, elegantî similitudine exponit D. Augustinus dicens: *Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam; nuce pueru demonstrantur et trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Sic Deus, ut nos alliciat, non nuce solum, non virides arborum, at aurores gratiaæ suæ ramos ipsi margaritis pretiosiores nobis proponit. *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos* (Eccli. 24, 2), inquit Deus: qui sunt hi rami, quos Deus extendit? *rami mei honoris et gratia:* hi sunt pulcherrimi et gloriosissimi gratiaæ suæ rami, quibus peccatores, qui sunt veluti oves errantes ad

se adducit. Pellicit eos Deus per internas inspirationes, per monita et exempla, per sacros cordis motus. Hi sunt rami gratiæ; hæc nuces, quibus homines ad se adducit. Mirare vero quod eos per gratiam suam allicit *quin ulla ratione necessitet*. Verum est, Deum suas aliquando nobis dare gratias, cum nec de iis cogitamus, nec eas volumus; *gratia datur aliquando non cognoscenti, non diligenti, non desideranti* (S. Fulg. 1, de Præd. 16). Unde dicere solent theologi, gratiam excitantem esse *in nobis sine nobis*; quia nobis etiam nolentibus, ad nos venit, nos interius illuminat, et ad bene operandum excitat. Deus quidem spirat ubi vult, datque gratiam suam quando vult et quibus vult, inconsulto eorum libero arbitrio; ejus tamen gratia nulli necessitatem infert, ac liberum cuique est datam a Deo gratiam accipere, vel repudiare: *situm est in hominis voluntate, ait Concilium Coloniense, ut gratiam Dei oblatam accipiat, vel respuat*: Quod antea expresse docuerat D. Augustinus, dicens; gratiam Dei prævenire quidem nos, non tamen necessitare, quia movente quacumque Dei gratia, consentire, vel dissentire nobis liberum est: *miseriordia ejus prævenit nos: consentire autem vocati Dei vel dissentire ab ea, propriæ voluntatis est* (De spir. et lett. 34). Cum a Deo ad benefaciendum, et a dæmone ad peccandum allicimur, nec a Dei gratia ad bene agendum, nec a dæmonis tentatione ad peccandum necessitatur; *instigare forte possunt aliquæ virtutes diaboliæ ad peccatum, et aliæ juvare ad salutem; non tamen necessitate cogimur, vel agere recte, vel male* (Origen. Periarc. 1). Re quidem vera si a Dei gratia necessitaremur, qui bene agerent, æternam non mererentur gloriam; quia non est meritum, ubi deest libertas; qui etiam male agerent, æternis digni non essent suppliciis, possent enim hanc excusationem prætereundere, dicentes; si peccavimus, hoc factum est, quia deerat gratia ad bonum necessitans, sine qua peccatum vitare et bene agere nobis erat impossibile; et ideo immerito plectimur. Hæc ratio sumpta est a D. Hieronymo, dicente: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia ne-*

*cessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est* (adv. Jovin. 12). Mirabiles ergo divinæ gratiæ operationes, quæ nos allicit, quin necessitet: *ac etiam nos trahit quin ullo modo cogat*.

3. Tanta est peccatoris infirmitas, ut sine divinæ gratiæ auxilio, neque a peccato surgere, neque opera vitæ æternæ digna peragere, neque ad Deum accedere queat: peccator enim est quasi ovis errabunda, quæ ad animarum pastorem Christum, et ad Patrem æternum haud reduciur, nisi per gratiam suam eum Deus trahat; *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (Jo. 6, 44), id est, ut explicat Hugo cardinalis, *nisi gratia Dei eum prævenierit, et adjuverit*. Trahit nos Deus flagellis, trahit promissis, trahit gratia sua. Trahit Deus *flagellis* cum enim homines percudit et affligit, ad eum properant, eumque quærunt; *cum occideret eos, quærebant eum* (Ps. 77). Trahit Deus *promissis*; ut enim homines ad se trahat, æternam iis beatitudinem pollicetur; et sic trahi petebat sponsa, dicens, *trahite me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum* (Cant. 1, 3). Trahit tandem Deus *sua gratia*, nec enim flagellis et promissis homines trahit, nisi gratia sua eos simul trahat; et ideo ait, *attraxi te miserans* (Jer. 31, 3), id est, ut exponit præfatus cardinalis, *attraxi te, dans misericordiam et gratiam*. O quam mirabiliter trahit nos Deus. Videte autem hujus gratiæ admirabilem virtutem; *ita nos trahit Deus, quin ullo modo cogat*. Cum enim dicitur, neminem venire, nisi Pater traxerit eum, non ita intelligendum, quod vi et coactione, veluti bruta animantia trahamur; tractus, qui est a gratia, non est violentiæ, sed amoris, et misericordiæ. Unde Augustinus: si «*poetæ licuit dicere: trahit sua quemque voluptas*; non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto magis nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, quia delectatur virtute, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur vita æterna». Sic ad Deum trahit nos gratia, ita tamen, quod non cogat, nec vim inferat, quia ea trahente, voluntarie, libere et non coacte ad Deum imus, dum ad illum ire, vel non ire nobis liberum est;

qui trahuntur, ita veniunt, ut si vellent, possent non venire (S. Prosp. de voc. gent. 2, 27). Deus qui nos pie vivere, virtutem sectari, et æternam beatitudinem consequi cupit, per gratiam suam ad pie vivendum et ad virtutem sectandam nos movet, allicit et trahit, non tamen cogit; nos bonos et sanctos esse peroptat, non tamen vi et coactione nos bonos et sanctos efficit; dat gratiam ad pie vivendum necessariam, cui cooperari, vel non cooperari liberrime possumus. *Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum, qui virtutem volunt contemnere, ullo modo violentat; sed hortatur quidem hæc consulit, et omnibus modis bonos esse persuadet, si vero aliqui reluctantur, nullo modo cogit, ut boni esse velint* (D. Chrys. hom. 8 in Matt). O quam ridiculi ergo, qui se a Deo ad bonum agendum cogi expectant! Cum trahit eos Deus variis afflictionibus, quas patiuntur, prædicationibus quas audiunt, salutaribus monitis quæ ipsis dantur, et internis gratiæ auxiliis, quibus excitantur, Deum trahentem sequi renuunt, nec quidquam eorum, ad quæ perficienda a gratia moventur, opere complent; videntur expectare, ut Deus ad compescendas passiones, ad vitia ressecanda, ad penitentium, et ad recte vivendum eos veluti manu ducat et compellat; noverint vero, inquit D. Augustinus, Deum trahere, non cogere; *certum est Patris tractionem non inferre coactionem*. Non ergo a Deo ad recte operandum cogi expectetis, sed trahenti ejus gratiæ obtemperate; trahit vos Deus ad valedicendum mundo et pompis ejus? eis generose valedicite; trahit vos ad penitentiam serio amplectendam? eam serio amplectimini; trahit ad ardua virtutum opera? arduis virtutum operibus incumbite, ac in omnibus cooperamini gratiæ Dei: cujus ita mirabiles sunt operationes, ut *suadens, non aduletur, alliciens, non necessitet, et trahens, non cogat*. Ecce gratiæ operationes; *videamus modo ejusdem triumphos*.

## III PARS.

*Gratiæ divinæ triumphus.*

Victrices et triumphantes non sunt gratiæ omnes, quas Deus hominibus largitur; non omnes de cordibus nostris triumphant, *sive* quia non omnes æqualiter trahunt; *sive* quia non omnibus æqualiter obtemperamus et cooperamur. Faciendum tamen et maximos et gloriosissimos esse gratiæ divinæ triumphos, quia sæpe de hominibus triumphat, 1. induratis; 2. perditis; 3. rebellibus.

1. Mollia, flexibilia, et tractabilia sunt hominum aliquorum corda, quæ flante divinæ gratiæ aura, veluti cera liquefunt, emolliuntur, et in varias figuras facillime finguntur. Aliorum multorum corda sunt dura, adamantina, et quasi marmorea, quæ emolli et flecti vix posse videntur: Deus tamen de illis sæpe triumphat cordibus, datque gratias ita validas, ut corda quantumvis dura et inflexibilia conterat, et quo voluerit, flectat. *Percussit petram, et fluxerunt aquæ* (Psal. 77, 20); petrina hæc corda sæpe Deus ita per gratiam suam percutit, ut de iis gloriose triumphet, et ex his amaros penitentiae lacrymas eliciat. Hujusmodi erat cor Augustini adhuc juvenis tam induratum et vitis assuetum, ut a venereis abstinere sibi impossibile arbitraretur; verum, adveniente Dei gratia, ita cor ejus est immutatum, ut quod antea impossibile, mox facillimum ei visum sit. Guillelmus, Aquitanæ dux, in omni fere vitiorum genere induratus, prædicatoribus, monitoribus, ac ipsi Deo vocanti et excitanti sæpe restiterat; tandem ita de eo triumphavit gratia, ut ex peccatore famoso austerioris penitentiae virum effecerit. Quis Mattheum a telonio avocavit, ac graves pecuniarum sarcinas abjicere compulit? nonne Dei gratia? Quis Saulum, ire vas iniquissimum, quis, inquam, Saulum adhuc spirantem minarum et cædis discipulos Domini, a suscepto facinore complendo compescuit, et

ad apostolica munera vocavit? nonne triumphans Dei gratia? Taceo Melanias, Pelagias, et alios quamplurimos utriusque sexus induratos peccatores, de quibus gratia ita gloriose triumphavit, ut eos ad pœnitendum adduxerit, ac lapidea eorum corda in uberrimos lacrymarum fontes immutarit: *convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum*. Fatendum quidem quod non omnis gratia induratorum peccatorum corda demulciat et dominetur; speciali quadam opus est Dei gratia, quæ ita de iis triumphat, ut a nullo duro corde respuat; hæc gratia, *quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur* (D. Aug. de præd. Sanct. 8, 8). At non solum sæpe triumphat divina gratia de hominibus induratis, *verum et de iis qui perditii sunt, ac multorum vitiorum cœno immersi*.

2. Nonnullos reperire est ita ingluviei, veneri, et aliis vitiis addictos, ut omni prorsus gratia indigni habeantur; Deus tamen per misericordiam suam eos benigne respicit; fugiunt illi, et gratia sua Deus sequitur eos; *misericordia tua subsequetur me* (Ps. 22, 6). Descendunt hi usque ad peccatorum abyssum, adeo ut omnino perditii videantur, at Deus non derelinquit eos: illos enim per gratiam benigne vocat, allicit et trahit, ut si pereant non defectu gratiæ, sed sua culpa pereant: *non ideo mali pereunt, quia boni esse non potuerunt, sed quia noluerunt* (Conc. Valen. ses. 3, c. 2). Licet autem de perditis hisce hominibus non semper, sæpe tamen triumphat divina gratia, cujus rei aliqua hic exempla adducere non pigebit. Nostis perditissimam, ac omnibus plane vitiis debitam fuisse Magdalenam: hæc erat mulier in civitate peccatrix, e qua septem Christus ejecit dæmonia, hoc est septem peccata capitalia, ut nonnulli explicant. Quis autem de ovicula hac errante et perditia triumphabit? hoc opus dexteræ Excelsi; hic triumphus divinæ gratiæ, quæ ita Magdalene cor immutat, ut ex magna peccatrice pœnitentiæ prodigium subito facta sit. Ejusdem fere sortis erit Maria Ægyptiaca: neminem latet, quam perditam ac fœdæ libidini addictam fuerit: hæc Jerosolymam pergens, navigantibus se adjungit, ut luxuriæ indulgeat, aliosque ad peccandum alli-

ciat. Nec stipendium illa petit usure libidinosæ corporis sui, quin contra dona et ipsa largitur, ut libidinem expleat et ad libidinem illos pelliceat. O quam misera, o quam perditam hæc mulier! quis eam a via hac pessima revocare, et Dei obsequio mancipare valebit? quis hanc peccatricem mundare et sanctificare poterit? hoc unus Deus gratia sua præstare valet et tantum de ea triumphum agit, ut illam ad solitudinem adducat, ubi inaudita pœnitentiæ specimen, et mirabile omnium virtutum exemplar extitit. Pelagiam silentio præterire nolo, de qua gloriosum divinæ gratiæ triumphum quis meminerit, quin admiretur? Quæ et quam perditam fuerit hæc mulier, dicit ipsamet: *Ego sum illa Pelagia, pelagus iniquitatis, exundans fluitibus peccatorum, perditionis abyssus; laqueus animarum, ego Pelagia, discipula diaboli*. Hæc Antiochiam perambulabat, gemmis resplendens, et procorum circumcincta caterva, quibus luxuriæ venena infundebat; cum ecce ducente Dei Spiritu ædem sacram ingressa, sanctum episcopum Nonnum audit, et dum e suggestu loquitur præsul, ad peccatrici cor loquitur Deus, illam gratia sua ad pœnitentiam excitat, eamque ad montem Oliveti vocat, ubi omnium mortificationum genere corpus suum cruciat, ac tam pie, tam religiose, tamque mirabiliter vivit, ut sanctorum fastis adscribi mereatur. Miramini hos, et innumeros alios hujusmodi divinæ gratiæ triumphos, quæ non solum triumphat de his qui perditii, *sed etiam de his qui rebelles sunt*.

Gratia sua Deus *attract* et *volentes*, inquit sanctus Petrus Chrysologus. Verum quidem; quod si quis gratiæ divinæ motibus, quantumvis vehementibus, pertinaciter obtemperare nolle, eis vere resistere posset instar Judæorum, qui gratiæ semper resistebant; *vos semper Spiritui Sancto resistitis* (Act. 7, 51). Ideo non ita intelligendum, quod gratia trahat et rapiat *volentes* et resistentes, ipsis invitis, sed gratia *attract* et *volentes*, ac de nolentibus et rebellibus triumphat, quia ex nolentibus et rebellibus eos volentes, consentientes, et libere cooperantes efficit; *non resistentem, invitumque compellit, sed ex invito volentem facit* (S. Prosp.). *Ego murus*.



inquit Deus, *et ubera mea sicut turris* (Cant. 5). Est quidem Deus quasi murus, quem peccatores ingrati, ac voluntati ejus rebelles innumeris criminibus impetunt; cum vero adversus Deum factorem et benefactorem suum majore cum impudentia insurgunt, producit ipse misericordiae suæ ubera, ex quibus nonnunquam tantam gratiarum effundit copiam, ut de iis triumphet, eosque etiam nolentes et rebelles ad se trahat, seu volentes efficiat, *ex invito volentem facit*. Ita de peccatoribus quibusvis, etiam rebellibus et protervis, Deus per gratiam suam triumphat, ut cum aliquem ad se trahere et salvare statuit, nullus ei resistat; *Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium* (S. Aug. de corr. el. grat. 30). Certum est, gratiam non tollere, sed sanare, juvare, et perficere liberum hominis arbitrium, *gratia Dei humanum sanatur, non auferitur arbitrium* (S. Fulg. de grat.). Certum est etiam Deum, qui hominem liberum condidit, per gratiam suam ejus libertatem non auferre; *auxilio et munere Dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur*, inquit Cælestinus Pontifex Maximus (ep. ad Episc.). Quamquam vero Deus gratia sua humanæ non officiat libertati, mirabiles tamen et nobis ignotos novit modos, quibus dura, ingrata, ac rebellantia corda flectat, vincat et expugnet, ac ita de hominibus triumphat, ut eos ex nolentibus et rebellibus, volentes et ejus voluntati obtemperantes efficiat, *ex invito volentem facit*. Ecce mirabiles, et extraordinarios gratiæ divinæ triumphos; extraordinarios dico, quia non semper, sed aliquando dumtaxat sic de hominibus induratis, perditis, et rebellibus triumphat. Nec humani ingenii est investigare, cur et quomodo de hoc et non de illo triumphet; *quem trahat, et quem non trahat, quare illum trahat, et illum non trahat, noli judicare, si non vis errare* (S. Aug. tract. 26 in Jo.) Quid ergo faciendum? *non traheris? ora ut traharis*, subdit D. Augustinus. Certissimum est, quod Deus per gratiam suam ita omnes trahat, ut omnes converti possint, si velint; at si quis ita induratus ac protervus sit, ut pluries divinæ gratiæ resisterit, a Deo supplex potentiozem postulet gratiam, cujus virtute a vita sua pessima

trahatur, et evellatur; *non traheris? ora ut traharis*. Dicit Deo cum mollifluo Bernardo: *O Domine, voluntatem meam trahere quodammodo invitam, ut facias voluntariam; trahere torpentem, ut facias currentem*. A Deo trahens illa gratia enixopetenda est, cui gratiæ deinde fideliter obtemperandum. Audite Paulum clamantem et hortantem omnes, ut in vacuum Dei gratiam non recipiant; *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (2 Cor. 6). Non ergo eam in vacuum recipiatis, imo eidem cooperari et obtemperare satagite, ut ea auxiliante fructus poenitentiae et aeternæ gloriæ dignos faciatis. Amen.

EXPLICIT TOMUS SECUNDUS

CONTINENS CONCIONES DE TEMPORE PR. PART. QUADRAG.